



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Cursus Theologico-Moralis**

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus  
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Art. IX. De Impedimento disparitatis Cultus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40650**

tius intentatur matrimonium inter adulteros, vivente conjuge alterius; requiritur tamen, ut uterque conscius sit, quod copula, quam habent, sit adulterium, eo quod conjux alterius sit superstes. Tertio, quando præter adulterium intervenit promissio matrimonii inter adulteros, sive promissio facta sit ante, sive ab uno tantum adultero, sive ab utroque, ut docent communiter contra Henr.; dummodo promissio non fuerit ficta, ut docet Bonac. contra Sanch., & fuerit acceptata.

IV. Notandum tamen, quod si Titius promittat Teresiam matrimonium contrahendum post mortem Bertæ suæ uxoris, peccat tam Titius promittens, quam Teresia acceptans, ut docent communiter cum Sanch. ex cap. final. de eo, qui duxit in matrimonium. Ratio est, quia daretur ansa captandæ mortis Bertæ; immo talis promissio non solum esset illicita, sed etiam invalida, ex Sanch., & Bonac.; cum jus tali promissioni resistat, ex leg. final. ff. de Pactis.

V. Quæritur tertio; Quid sit Raptus, & quando dirimat matrimonium?

Respondeo, Raptum esse proprie, quando Persona aliqua per vim de loco in locum adducitur, ut Raptor illam habeat in sua potestate: In hoc enim Rapina distinguitur a furto, quod per Rapinam inferatur vis aut Domino, aut illi, cui res, quæ surripitur a Domino, commissa est; secus vero per furtum: Quare si Titius rapuit hoc pacto Bertam, ipsa repugnante, vel causa matrimonii, vel saltem (ut docet Sanch., & Sâ contra Perez) causa libidinis, matrimonium cum illa est invalidum, donec Berta extra Titii potestatem adducta, ac loco tuto, & libero restituta, plene liberè in illud consentiat; tunc enim valide contrahunt, ex Tridentino sess. 24. cap. 6.: Ubi additur, quod Raptor

Pars VII.

debeat illam docere arbitrio Judicis, sive eam ducat, sive non; & tam Raptor, quam præbentes illi auxilium, aut favorem ipso jure sint excommunicati, & perpetuo infames, ac omnium dignitatum incapaces. Omnes tamen hujusmodi pœnæ requirunt sententiam Judicis, ut incurrantur; pro ut docent communiter cum Sanch. disp. 13., præter excommunicationem, quæ incurritur ipso facto.

VI. Quæritur ultimo; An si fœmina rapiatur ipsa volente, sed parentibus invitis, matrimonium dirimatur?

Respondeo cum Sanch. loc. cit., Hurt., Con. contra nonnullos, matrimonium inter Raptorem, & sic raptam non esse irritum; quia Trident. suo decreto constituente hoc impedimentum voluit tantum consulere libertati matrimonii, ad quam solius fœminæ liber consensus requiritur.

## ARTICULUS IX.

### De Impedimento disparitatis Cultus.

- I. *Matrimonium fidelis cum non baptizato est irritum; cum hæreticis tamen est illicitum: esto consuetudine in multis locis permittatur, si non sit periculum perversionis; nec pactum ineatur, quod aliqui ex filiis hæresi adhareant.*
- II. *Si alter ex conjugibus Infidelibus ad fidem convertatur, dissolvitur vinculum conjugale, si nolit alter sine injuria Creatoris cohabitare, aut si simpliciter cohabitare nolit.*
- III. *Si tamen velis cohabitare pacifice, probabilius tenetur fidelis discedere quoad torum.*
- IV. *Horum filii, si careant usu rationis, conjugem fidelem sequi debent; si vero sunt præditi usu rationis, liberum est illis sequi parentem, quem malunt. Quod si de rationis usu*

S

dubi.

*dubitetur; adhuc debent fidelem parentem sequi.*

I. **I**ritum est jure Ecclesiastico matrimonium baptizati cum non baptizato: Contra vero matrimonium catholici cum haeretico, vel cum Apostata, vel cum excommunicato est solum illicitum propter periculum perversionis, & ob malam prolis educationem, &c. Ubi tamen consuetudine universalis cognita, & tolerata a Pontifice receptum est, ut permixtim Catholici cum haeticis matrimonium contrahant, (ut accidit in multis Germaniae, Galliae, & Poloniae locis) videtur cum Sanch. disp. 62. Perez, Tambur. lib. 2. Decalogi cap. 1. §. 5., id licitum esse, cessante periculo perversionis; quia usus in contrarium potuit legem hanc Ecclesiasticam abrogare: Illicita tamen, & irrita essent pacta, quod aliqui tantum ex filiis nascituris adhæreant fidei catholicae, alii vero adhæreant haeresi; sunt enim hæc pacta contra jus divinum, quod postulat, ut Parentes præbeant remedia ad salutem filiis usurationis carentibus.

II. Quæritur nunc primo; Utrum conjuges infideles non baptizati, si ad fidem convertantur, sint separandi?

Respondeo, si uterque ad fidem convertatur, perseverare debent in suo matrimonio, si valide sit illud contractum. Et ratio est, quia matrimonium Infidelium est verum matrimonium, nec est ratio, cur dissolvatur, quando uterque ad fidem convertitur: (An autem, & quando tale matrimonium evadat Sacramentum? diximus quæst. 3. art. 1.) Si vero alter tantum conjugum Infidelium ad fidem convertatur, in eodem etiam matrimonio permanere debent, nisi detur causa, propter quam dissolvi possit; Est autem duplex causa illud dissolvendi, ex cap.

*Gaudemus, de divortiiis.* Prima, si infidelis non vult habitare cum fidele; Secunda, si volens habitare, non vult habitare nisi cum injuria Creatoris, (scilicet audiendo nomen Dei, aut Christi cum despectu, illud blasphemando, & retrahendo familiam ab ejus cultu, aut pertrahendo conjugem fidelem ad peccatum) in his enim casibus potest baptizatus suum conjugem deserere, & novum matrimonium inire: Quod deducitur ex 2. ad Corinth. 7., ubi dicitur: *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hoc consentit habitare cum illo, non dimittat illam; quod si Infidelis discedit, discedat, videlicet dissolvendo vinculum matrimoniale, ut constat ex verbis sequentibus: Non enim servituti subiectus est frater, aut soror in hujusmodi; Idque etiam videntur docere verficuli illi relati in Glossa cap. 4. de divortiiis.*

*Desere spernentem, & blasphemare volentem,*

*Vel te credentem scelus ad mortale trahentem;*

*Nam sunt absque mora sic vincula rupta priora.*

III. Quæritur secundo; Si infidelis nollet ad fidem converti, vellet tamen cum conjugate fidele habitare pacifice, & sine injuria Creatoris, Num possit fideles aut cum alio matrimonium contrahere, aut saltem divertere quoad torum?

Respondeo, multos apud Sanch. lib. 7. disput. 73. docere; primis sex seculis nascentis Ecclesiae, quando multi infideles ad fidem convertebantur, consilium fuisse, fidelem conjugem permanere cum infideli, quamdiu erat spes conversionis; liberum tamen fuisse discedere solum quoad torum, non quoad vinculum; Deinde vero, quia raro admodum Infideles convertuntur, teneri fidelem discedere quoad torum, si Infidelis ab Episcopo mon-

nitus nolit statim converti, ex Conc. Tolet., nisi magnum scandalum ex subito discessu oriatur; sicut nunc oriretur in India, Japonia, &c. si cogerebantur conjuges fideles statim separari ab Infidelibus: Alii tamen cum Sot. apud Con. docent, in tali casu licitum esse conjugi fideli discedere ab infideli, etiam quoad vinculum, atque adeo posse cum alio matrimonium contrahere: Prior tamen sententia videtur probabilior, & conformior locutioni Apostoli.

IV. Ubi notandum, quod in tali casu filii istorum conjugum, si careant usu rationis, sequi debent conjugem fidelem; si vero habeant usum rationis, relinquendi sunt in propria libertate; si demum dubitetur, an habeant usum rationis, præsumendum est in favorem fidei, quod non habeant, atque adeo sequi debeant conjugem fidelem.

## ARTICULUS X.

De reliquis Impedimentis dirimentibus, præsertim Publicæ Honestatis, & Impotentia.

- I. Excommunicantur Domini temporales, & Magistratus, qui directe, vel indirecte cogunt alios, ne libere matrimonium contrahant.
- II. Etiam inter Infideles illicita est Polygamia; Qui autem plures uxores habet, si ad fidem convertatur, primam dumtaxat retinere debet, si velit hæc ad fidem converti; Quod si nolit, non tenetur ille alias ducere, quamvis vellent converti.
- III. Ut possit aliquis ad secundas nuptias transire, non sufficit probabilitas, sed requiritur moralis certitudo de morte prioris conjugis.
- IV. Sponsalia invalida non parviunt impedimentum publicæ honestatis, etiam si sint invalida ex defectu con-

sensus; secus vero matrimonium ratum.

- V. Quid sit Impotentia? Et quotuplex?
- VI. Num impotentia perpetua dirimat matrimonium in ordine ad castitatem, ac socialiter vivendum?
- VII. Quid si dubitetur, Num impotentia antecesserit matrimonium, an subsequuta fuerit?
- VIII. Et quid si dubitetur, num sit perpetua, an temporalis?
- IX. Num senes capulares valide matrimonium contrahant? Quid de Eunuchis, de Maleficiato, ac de Hermaphrodito?
- X. Ætas ad matrimonium requisita quamnam sit?

I. **V**Is, seu metus fert impedimentum dirimens matrimonium; de eo tamen abunde diximus, cum de consensu coacto, quæst. 4. art. 2. Hic dumtaxat addimus, a Trident. sess. 24. cap. 9. excommunicari Dominos temporales, & magistratus, qui quovis modo directe, vel indirecte subditos, vel alios cogunt, quominus libere matrimonium contrahant.

De impedimento Ordinis egimus art. 4. hujus quæst., postquam egimus de impedimento Voti.

II. Progredimur itaque ad impedimentum ligaminis, quo nomine intelligitur prioris conjugii etiam rati vinculum, quo durante sequens matrimonium etiam consummatum dirimitur jure non solum Ecclesiastico, sed etiam naturali, & divino; Nam res uni tradita non potest amplius alteri tradi; & Matth. 19. dicitur: *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, mæchatur.* In lege veteri dispensavit Deus in pluralitate uxorum; hæc tamen dispensatio a Christo Domino fuit revocata; Cum autem omnes homines, etiam infideles, Christo Domino subjiciantur, sequitur, quod etiam inter infideles illicita nunc sit Polygamia;